

# Memorabilis est historia,

quam libro II. de Oratore Cicero recensuit, eamque suo more prolixè admodum diduxit *M. Antonius Guevara* in Horologii Proœnio generali ad *Carolus V. Imperatorem*, itemq; *B. Lutherus* in aureo illo & variegato super Psalmum CI commentario (α.) eleganter sanè in rem deduxit, nempè de *Phormione* Peripatetico Philosopho Ephesino. Quum *Hannibal* Carthagine expulsus (nave conscensâ clam in Syriam ad Antiochum profugisse scribunt *Justinus* & *Nepos Cornelius*; γ. tempori & fortunæ cessisse *T. Livius*) δ. Ephesum ad Antiochum venisset exul, & quia nomen ejus magnâ erat apud omnes gloriâ, invitatus fuisset ab hospitibus suis, ut *Phormionem* istum concionantem audiret, nec abnueret, sed unâ cum Antiocho M. Syriæ Rege scholam Philosophi ingrediatur, ibi homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio & de omni re militari loquutus est. *Guevara* dicit argumentum, quod instituerat, omisisse Philosophum &, quum nunquam novus dicendi argumento destituatur is, qui totum sese studiis doctrinarum tradidit, ex tempore cœpisse de artibus & strategematis, quibus in bello uti Principes oporteret, deq; ordine in committendis præliis servando differere, easq; res tantas ac tam novas adeò sublimi & copioso orationis genere persequutum, ut non solum omnibus, à quibus nunquam auditus fuerat, sed & illis, qui singulis illum diebus audiebant, admirationi esset, ipse quoq; Antiochus dissertatione istâ magnopere delectatus vehementer de suo sibi Philosopho placeret, sic enim exteros quoq; cognituros, regnum se habere, quod viris sapientibus abundaret. Sed longè aliter, quàm putabat Antiochus, res ista cadebat. Erenim *Pœnus* judicium super

Tom. VI Jen. fol. 141. b. β l. xxxi. c. 2. γ in Hannibale δ xxxiii. fin.